brak u Estr.
zob. XXII, 584

✠

EXAMEN

Approbandorum ad S. Confeſſiones excipiendas.

ET

Ad Parochias obtinẽdas, ſecundùm modum ac ordinem per Illuſtriſſimũ ac Reuerendiſſimum D. D. MARTINVM SYSZKOWSKI, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopum Cracouieñ. Ducem Seuerieñ. in Synodo Diœceſiana, Anno Domini, M. DC. XXI. traditum, in vndecim Titulos diſtributum.

Authore F. NICOLAO MOSCICENSI, *Doctore Theologo, Ord. Prædic.*

Cum licentia Superiorum.

Collegij Petricoviensis Soc^tis IESU ex dono ... 1696.

CRACOVIÆ,

In Officina Typ. Matthiæ Andreouienſis, Anno 1621.

Ex dono ...

EXAMEN

Approbandorum ad S. Confessiones excipiendas.

ET

Ad Parochias obtinēdas, secundùm modum ac ordinem per Illustrissimū ac Reuerendissimum D. D. MARTINVM SYSZKOWSKI, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopum Cracouien. Ducem Seuerien. in Synodo Diœcesana, Anno Domini, M. DCXXI. traditum, in vndecim Titulos distributum.

Authore F. Nicolao Moscenski, Doctore Theologo, Ord. Prædic.

Cum licentia Superiorum.

CRACOVIAE,

In Officina Typ. Matthiae Andreouiensis, Anno

Illustrissimo, Reuerendissimo, AC

DOMINO MARTINO SYSZKOWSKI,

Episcopo Cracouień, Duci Seuerień.



Fr. NICOLAVS MOSCICEN. D. T. Ord. Prædic. in signum debitæ Reuerentiæ offert ac dicat.

TITVLI.

TITVLVS I.

De Sacramẽto Pœnitentiæ in genere.

Habet puncta Nouem.

PVNCTVM I.

Ad quem finem sunt instituta Sacramenta nouæ legis?

℞. Ad salutem humanam.

POrro salus hominis duplex. Prima seu proxima, vel inchoata per gratiam, quæ à Theologis iustificatio dicitur. Et vltima seu consumata per gloriam, quæ beatitudo appellatur. Sacramenta vero nouæ legis ad vtramq; ordinantur.

PVNCTVM II.

Quotuplex est gratia, quæ per Sacramenta nouæ legis confertur?

℞. Duplex. Prima. Et secũda, quæ augmentum gratiæ dicitur.

PRima vocatur: ante quam immediatè homo Deo gratus non fuit, sed mortuus per peccatum originale, vel mortale. Vnde duo Sacramenta, scilicet Baptismus & Pœnitentia, (quæ sola, hanc primam conferunt gratiam) dicuntur Sacramenta mortuorum. Secunda vero gratia appellatur, quando in homine gratia, seu vita spiritualis inuenitur, & augmentum tantùm gratiæ accedit. Vnde reliqua quinq; Sacramenta dicuntur viuorum, in quantum præsupponunt vitam spiritualem in homine, & augmentum gratiæ conferunt.

PVNCTVM III.

Quomodo Sacramenta sunt necessaria ad salutem?

QVædam Simpliciter, id est, omnino necessaria, qualia sunt tria. Ordo respectu totius Ecclesiæ, quamuis non respectu singulorum. Baptismus vniuersaliter, quo ad omnes & singulos. Pœnitentia respectu eorum, qui post Baptismũ peccauerunt mortaliter.

Alia sunt necessaria ad bene esse, id est vtilia, vt reliqua Sacramenta. D. Thom. 3. q. 65. art. 4. Et q. 73. art. 3.

Quomodo autem sint necessaria necessitate præcepti, & quid sit necessarium præcepti & medij. Vide Bellar: T. 2. lib. 1. cap. 22. Et Gregorium Valentia T. 3. disp. 1. q. 2. p. 2.

PVNCTVM IV.

Quis finis Sacramenti Pœnitentiæ?

℞. Remissio peccatorum, vel iustificatio hominis lapsi in peccatum mortale post Baptismum.

PVNCTVM V.

An Sacramentum Pœnitentiæ habeat illa

at illa tria, more aliorum Sacramentorum, scilicet, materiam, formam, & ministrum?

℞. Habet. Et quidem materia remota, sũt peccata mortalia. Proxima verò sunt actus Pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio: seu peccata contritione, confessione, ac satisfactione præparata vel expolita. Forma est absolutio. Minister verò Sacerdos.

PVNCTVM VI.

Per Sacramentum Pœnitentiæ, deleturne omnis culpa?

℞. Ita. *Et aliquando quidem directè, aliquando verò indirectè. Directè illa quæ manifestatur in confessione. Indirectè, quæ per obliuionem inculpabilem, vel inaduertentiam, aut etiam ignorantiam inuincibilem, non exprimitur, semper tamen is, qui sic omisit peccatum mortale, habet annexam obligationem ad manifestandum illud & subijciendũ clauibus Ecclesiæ in Confessione, quandocunq; in memoriam venerit.*

PVNCTVM VII.

Dimittiturnè etiam Pœna?

℞. Dimittitur, sed regulariter non tota. Nam æterna ex toto remittitur: Tẽporalis verò remanet.

PVNCTVM VIII.

Quomodo dimittitur æterna?

℞. Concomitanter seu ex consequenti. *Suar. d. 16. s. 2.*

Declaratio.

IN peccato mortali sunt duo. 1. Auersio ab incommutabili bono. 2. Et conuersio inodrinata ad commutabile bonum. Et quidem auersionẽ illam consequitur reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit, in æternum puniatur. Conuersionem autem inordinatam ad commutabile bonum, consequitur reatus alicuius pœnæ. Iustum enim est, vt qui voluntati suæ plus indulsit, quàm debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur. Et quia conuersio ad bonum commutabile est finita, ideò & pœna ei correspondet temporalis.

Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur auersio animæ à Deo, in quantum anima Deo per gratiam coniungitur, ac consequenter simul tollitur reatus pœnæ æternæ, sublato namq; principali, aufertur accessorium vel concomitans: potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis. Separari enim potest à primo, vt docet D. Th. 3. q. 86. ar. 4. c. 1. 2. Caiet. ibidem & Poret. Suar. in 3. part. T. 4. disp. 10. sect. 2. & 3. per totum.

PVNCTVM IX.

Sempernè remanet reatus pœnæ temporalis, dimissa culpa mortali?

℞. Non semper. Quia aliquando tota pœna remittitur, aliquando plus minusuè, secundùm modum propriorum actuum, qui sunt ma-

teria Pœnitentiæ. Quod non eſt ex defectu miſericordiæ diuinæ, ſed ex defectu pœnitentiæ hominũ, quia ſcilicet aliquorũ conuerſio ad Deum, non eſt tanto ſpiritus feruore facta, vt ſufficiat ad tollendam etiam pœnam temporalem. D. T. Porret: a. 4. append.

TITVLVS II.

De Miniſtro Pœnitentiæ.

Habet puncta 12.

PVNCTVM I.

Quæ & quot conditiones requiruntur in Confeſſario, Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ?

Sex. Poteſtas, Scientia, Prudentia, Bonitas, Sigillum, & Fortitudo.

PVNCTVM II.

In quo differunt Poteſtas Ordinis & Iurisdictionis?

In duobus. 1. In ſeparabilitate ab inuicem, quod ſignum eſt realis diſtinctionis, nam & Poteſtas Ordinis poteſt inueniri abſq; Iuriſdictione. Quia in Conciliis abſolutè dicitur, ſacerdotem poſſe carere omni Iuriſdictione ad abſoluendum.

Et poteſtas Iuriſdictionis poteſt eſſe abſque Poteſtate Ordinis, vt quando non Sacerdos recipit beneficium Parochiale, accipit Iuriſdictionem & nõ Ordinem. Suarez T. 4. diſp. 16.

2. Differunt in modo acquirendi. Nam poteſtas Ordinis ex Ordinatione ſeu ex vi conſecrationis ſacerdotalis: Poteſtas verò Iuriſdictionis ſeu Iudiciaria acquiritur per prælationem ſuper aliquã multitudinem, & exigit ſubiectionem, aliquorũ, vel ſubditũ. *Suar. d.* 16. *ſ.* 3

Pro maiori declaratione ſciendum, quod duplex eſt Poteſtas Ordinis, ſcilicet ſuper corpus Chriſti naturale, ſeu verum. Et eſt illa quam Sacerdos ſuſcipit ad conſecrandum: dum ei porrigitur Calix cum vino, & patena cum hoſtia. Et ſuper corpus Chriſti myſticum, quatenus ex diuina ordinatione per characterem, ſacerdos deputatur & conſecratur, vt poſſit eſſe Miniſter & Iudex animarum in foro pœnitentiæ. vnde habilitatem ad percipiendum Iuriſdictionem conſequitur tunc, quando datur ei poteſtas remittendi peccata.

Alia ſubdiuiſio.

Poteſtas Iuriſdictionis duplex. In foro interno, & externo. In foro interno duplex: Ordinaria & delegata ſeu ex commiſſione.

PVNCTVM III.

An in aliquo casu non sacerdos possit ministrare Sacramentũ Pœnitentiæ?

℟. Suarez disp. 24. Nullo modo potest: neque aliqua necessitate vrgente, neque dispensatione accedente.

Estq; de Fide, Quia in Conc: Trid. Sess. 14. Can. 10. ita definitur. Et quia Potestas Clauium fundatur in charactere Sacerdotali, Hinc apparet contrariam opinionem antiquorũ, iam correctam esse & antiquatam, Sot: 4. distin. 18. quæst. 4. a. 1. Concl. 3.

PVNCTVM IV.

Quæ Scientia requiritur in Confessario?

Duplex potest inueniri. Eminens, omnibus numeris absoluta: Et sufficiens.

Eminens est, quando Confessor vtraque Practica Theologia pollet, scilicet, morali & Sacramentali. Iuris quoq; præsertim Canonici peritiam habet, Constitutionesque Synodales tenet.

Sufficiens: latitudinem habet, nam pensatis circumstantiis locorum, temporum, ac personarum, iuxta prudens iudicium, aliquando maior, aliquando minor requiritur: adeo vt interdum satis sit intelligere, quæ frequentius accidunt, & de alijs scire dubitare. Nam cum dubitat, potest legendo, vel alios consulendo cognoscere, quid agẽdum sit, & quomodo procedendum atque adeò dignè suo munere fungi.

PVNCT: V.

Hæc Scientia sufficiens regulariter, ad quot Capita reduci potest?

℟. Ad tria. Ad Scientiam inquisitiuam, iudicatiuam, & medicatiuam.

Ad inquisitiuam pertinet nosse & intelligere præcepta Dei, Ecclesiæ, septem capitalia peccata, & peccata sensuum, aliena, diuersorũq; statuum.

Ad Iudicatiuam, quod sit discrimen inter mortale & veniale, quæ sint circumstantiæ peccatorum, quæ peccata sint reseruata, quæ Censuras & irregularitates annexas habeãt, quæ restitutionem famæ vel rerum, quando deneganda vel differenda absolutio, vt si sit in statu damnationis, scilicet habendo voluntatem perseuerandi in peccato.

Ad Medicatiuam pertinet, obstinatos in peccato emolire, & conuersionem persuadere, per incusionem timoris, ob pœnas inferni, incertitudinem horæ mortis, & alias pias considerationes, ac exempla, quæ omnia suppeditabũtur ex libris spiritualibus.

Timidos consolari.

Scrupulosos tranquillitare.

Tepidos excitare.

Proficientes iuuare.

Feruentes temperare.

Hic duo sunt notanda. 1. Dicta

cognitio non est sic exigenda, vt Confessarius in promptu habeat omnes excommunicationes, omnes casus, reseruatos, Irregularitatis species. &c. Satis est, quòd audiens confessiones reminiscatur, vel saltim hæsitet, vt ad quærendum consilium moueatur. 3. *Peccat grauiter Sacerdos, ingerens se huic ministerio absq; sufficienti scientia, neque excusare potest obedientia aut commissio per Episcopum facta. Quod si Sacerdos ex scrupulo dubitet se sufficientem, in tali tantùm casu ad iudicium superioris dicentis eum esse idoneum, debet deponere dubium, quando euidentissimè aliud non constat.*

PVNCT: VI.

Quæ Regulæ ad discernendum peccatum mortale à veniali?

℟. Sunt variæ à variis traditæ. Nauar. prælud. 9. n 8. talem ponit. Peccatum mortale, est peccatum contra præceptum diuinum, vel humanum, promulgatum, receptum, & non derogatum, æterna pœna munitum, vel contra aliquid pro tali habitum, vel an tale sit dubitatum, quod ignorantia, subreptio, vel paruitas rei, aut dispensatio iusta, vel causa iusta, quo ad legem humanam ab ea non excusat, vel contra diuinum consilium cōtemptum, vel contra salutem animæ proximi spretam, vel ob finem malum, vel in quo finis vltimus ponitur. Declarationē vide ibi.

Posset tamen loco Regulæ triplex differentia inter mortale & veniale assignari, qua intellecta facilius erit discernere vnum ab alio. Nam differunt natura, obiecto, & effectu. Natura quidem: Nam mortale est contra charitatem, veniale verò præter charitatem.

Obiecto: *Nam mortale habet pro obiecto grauem iniuriam. Veniale verò leuem. Vnde mortale dicitur, cum notabili iniuria Dei, proximi, aut suipsius. Vide Val. 12. disp. 6. p. 2. 3.*

Effectu. *Quia mortale æterna pœna punitur: Veniale verò temporali.*

PVNCT: VII.

Peccatum ex natura sua mortale, quot modis transit in veniale?

℟. Tribus modis. 1. Ratione imperfectionis actus. 2. Propter surreptionem, vel imperfectam deliberationem. 3. Ratione paruitatis materiæ. *Decis. c. 6. Nauar.*

PVNCT: VIII.

Veniale verò in mortale?

℟. Quinq; modis. 1. Si in eo finis statuatur. 2. Si ordinetur ad finem peccati mortalis. 3. Propter conscientiam erroneam. 4. Ratione scandali. 5. Ob contemptum. *Vide Decis. lib. 1. cap. 6. n. 19.*

PVNCT: IX.

Quæ bonitas de necessitate in Confessario requiritur?

℟. Duplex. Altera de iure naturali, scilicet fidelitas, vt fideliter cum intentione seria, non ficta, nō ludicra, negotium exequatur. Nā si iocosè & nō serio proferret formā absolutionis, nihil faceret. 2. De iure positiuo, vt censuris non sit irretitus, modo quo infra dicetur, puncto 11.

PVNCTVM X.

Confessarius conscius peccati mortalis, peccatnè ministrando Sacramentum, præsertim exigente subdito?

℟. Peccat mortaliter.

Ita D. Th.3. q.64. a. 6. Sed debet conari, vt habeat contritionem. De qua si dubitet ex probabilibus coniecturis, debet confiteri, & sic reponi in gratia. Medulla part. 3. cap. 1. § 6.

Quod si in vtroq; difficultatem sentiat, sibi imputet, quod cum ad tale officium ineptus esset, ausus fuerit ipsum suscipere. Itaq; alium ministrū substituat, aut bonis modis differat, aut certe si instat necessitatis casus, recolligat se seriò & cum Dei auxilio, non erit impossibilis acquisitio contritionis.

PVNCT: XI.

An Excommunicatus possit esse minister Sacramenti?

℟. Excōmunicatus vitandus, nimirum ob notoriam Clerici percussionē, & quia nominatim denūciatus seu publicatus est, potest in casu extremę necessitatis ipsius pœnitentis: vt cum est in articulo vel periculo mortis, neque alius idoneus inuenitur: extra casum necessitatis, Sacramentum est inualidum nisi pœnitens ignoret excommunicationem; vt si in vno loco sit excommunicatus, & recesserit ad remotissimum, ibique ad Confessiones audiendas admittatur; tunc enim absolutio bona fide suscepta valida est, conferente Ecclesia tunc iurisdictione propter bonum commune. *Nauar. cap. 9. n. 10.*

Porrò Excommunicatus non vitandus, scilicet extra illas duas caussas modo expressas: validè absoluit, quia occultus, benignitate Ecclesiæ non est priuatus iurisdictione, quamuis pœnitens sciat sacerdotem esse excommunicatum, dūmodo pœnitens habeat aliquam cōmunem necessitatem, etiā citra extremam, & non possit commodè differre; vt si tempore communionis Paschalis, non adsit alius idoneus Confessor. Peccatum autem esset inducere absq; vlla necessitate, & debito quo alius tenetur.

PVNCT: XII.

An debeat interrogari pœnitens de peccatis, quando, & quomodo, seu quo ordine?

℟. Debet interrogari pœnitens per Confessarium sub peccato mortali. 1. Non quoad omnia, quæ poterat

terat pœnitens cõmisisse sed ea tantùm quæ communiter eius status homines admittere solent.

2. Consueta peccata tantùm inuestigari debent, & vsitatiora, non quæ perditissimi inuenerunt.

Tunc autem debet Confessor interrogare, quando animaduertit & credit esse necessarium ad integram & fructuosam confessionem. Videlicet. Quando existimat pœnitentem, ob ignorantiam, inconsiderationem, negligentiam, obliuionem, metum, ac verecundiam, malitiamuè omittere velle.

PVNCT: XI.

Quomodo?

℞. Prudenter, præsertim in carnalibus. *Nauar.* cap. 5. n. 4.

PVNCT: XII.

Quo ordine?

℞. Prudentiæ Confessoris committitur, prout ei expedire videbitur. Nihilominus à remotis, non de propinquo à minoribus & cõmunioribus ad maiora & magis particularia, à cogitationibus ad verba, ad visum, ab his ad opera.

TITVLVS III.

De Contritione.

Habet puncta Octo.

PVNCTVM I.

Quæ dispositio requiritur in Pœnitente?

℞. Vt Pœnitens sit contritus vel ad minus verè attritus, talis enim postea ex attrito fit contritus per informationem gratiæ in Sacramẽto. Non sufficit autem putata attritio, etiamsi adsit ignorantia inuincibilis, siue iuris siue facti, per quam excusatur homo à noua culpa, sed non consequeretur effectum. Suarez.

PVNCT: II.

Quomodo Contritio & Attritio differunt?

℞. Multis modis. 1. In essentia, quæ ex diuersis motiuis attenditur. Nam attritio est efficax detestatio, & (qui cõsequitur) dolor de peccato ex metu gehennæ à Deo infligendæ; vel ex consideratione turpitudinis peccati, contra Dei regulam admissi. Contritio verò est detestatio aut dolor ex amore Dei super omnia, quatenus peccatum est contra bonum Dei in se, hoc est Deum infinitè bonũ, & consequenter super omnia diligendum, eiusque dissoluit amicitiam.

2. Hinc sequitur, quòd attritio est detestatio imperfecta, contritio verò perfecta. 3. Quoad effectum, quia attritio solitariè sumpta, remotè & insufficienter disponit ad gratiam, cum Sacramento autem sufficienter. At Contritio ex se sufficienter & absque Sacramento in re. *Vide Suarez. Tom. 4. disp. 5. sect. 1.*

PVNCT: III.

Quomodo quis probabiliter posset cognoscere se habere Contritionem vel Attritionem?

℞. Ex tribus. 1. Ex instinctu diuino: Vnctio enim Dei docebit omnia. 2. Ex iudicio humano perpensis benè conditionibus contritionis & attritionis, & præsertim motiuis doloris, ex quo scilicet motiuo dolor procedat. 3. Ex quibusdã signis, vt si quis pudore afficitur vel admiratione, quod tàm facile peccata admiserit: si forti animo non velit incidere in peccatum, etiamsi præterita occasio offerretur: si seriò vult satisfacere pro commissis: si proponit firmiter non admittere peccatum in futurum: si vitam emendare toto conatu desiderat: si ita odit, vt mallet omnia mala in communi pati quàm peccare. Non tamen requiruntur comparationes in particulari, ad eligẽdũ magis hoc vel illud genus mortis, quã peccatũ. *In Authoribus inuenientur varia signa. Praxis fori pœnit. &c.*

PVNCT: IV.

Contritio quibus modis acquiri potest?

℞. Duobus. 1. Auxilio diuino, per orationes & alia pia opera, implorando. 2. Per considerationes, tum iudiciorum diuinorum, tum beneficiorum, tum etiam excellentiæ Dei, necnon finis hominis à Deo præstituti, & periculorum vitæ, præteritorũ, ac futurorum.

PVNCT: V.

An Contritio aliquando sit in præcepto?

℞. Est. 1. Quando minister Ecclesiasticus cõscius mortalis est administraturus Sacramentum, vel actum Ordinis exerciturus, qui exigit, vt minister sit sine peccato mortali: tunc enim vel conteri, vel certè confiteri debet, si est tantùm attritus. 2. Si aliquando necessitate vrgente celebraturus est, nec potest habere copiam Confessoris. 3. Quilibet in articulo mortis positus, aut in probabili periculo vitæ, non habẽs copiam Confessoris. 4. Casu orationum in magno periculo Reipub. cui non aliter, nisi per orationis feruorem succurri potest.

PVNCT: VI.

An debeat quis conteri de singulis peccatis, an verò de omnibus in communi & quando?

℞. Est inter

℟. Est inter antiquos & modernos opinionum diuersitas.

Itaque videtur respondendum dupliciter. 1. Quod in hoc sunt duę opiniones Doctorum celeberrimorum, & propterea licèt sequi quamcunque quis elegerit, præsertim benigniorem, mitiorem, fauorabilemque. Caiet. in Summa V. Contritio, docet, quod sufficit ad salutem, quod homo qui multa habet peccata mortalia detestetur omnem suam mortalem in Deum offensam. &c. Sic namq; Contritio generalis, est contritio virtualiter attingens omnia, & singula commissa, etiam oblita. Nec exigitur ad salutem habere singulas contritiones iuxta singula peccata, nec secundùm numerũ, nec secundùm species peccatorum. *Idem docet Suar. in 3. par. tom: 4. q. 85. disp. 3. Sect. 8. Poteris videre eund. d. 4. Sect. 6. & disp. 20. Sect. 2. 3. De integritate, & Sect. 4. § Attritionem vninersalem. Et § Annecesse.*

2. *Respõdetur, quod D. T. doctrina sanè intellecta nõ videtur esse dura, quia in veritate fundatur. Nam de Contritione possumus loqui dupliciter. 1. per se, regulariter, ac in ordine ad confessionem: & ita exigitur singulorum peccatorum, singula, ad instar Confessionis, quæ etiam debet esse singulorum mortalium, & non deest occasio temporisq; copia ad hoc: si quidem quilibet tenetur præmeditari ante Confessionem peccata, & quidem non sine contritione id faciet, sed cùm amaritudine animæ, recogitabit omnes annos suos. 2. Per accidens, in casu, vbi deest opportunitas temporis, vel memoria deficit inculpabiliter, vide, licet post diligentem indagationem, tunc sufficit in communi vnam pænitudinem extendere ad omnia vniuersaliter. Vide D. T. 3. q. 87. a. 1.* Caietanus ibid. Et D. Th. Suppl. q. 2. a. 6. & 4. d. 17. q. 2. a. 3. q. 3. Sot. 4. d. 17. q. 2. a. 3. Caiet. in Opusc. t. 1. tract. 4. q. 2.

Tempus verò harum singularum contritionum opportunum est duplex, in peccatorum recogitatione præuia confessioni, & in ipso actu confessionis. Communis verò cõtritionis terminatæ ad singula mortalia, siue in particulari, siue in cõmuni tria possunt assignari tempora & loca. 1. dum ante Confessionem vult pœnitens recogitare sua peccata. 2. Post recogitationem peccatorum. 3. post enumerationem omnium peccatorum in confessione. Tunc enim in aliquo ex his tribus temporibus producere debebit vnam contritionem generalem detestantem omnia peccata & singula in confuso.

Necessarium enim est omninò contritionem talem vt præfertur, concurrere ad confessionem Sacramentalem, sed quando determinatè, non est præceptum.

PVNCT: VII.

An formale propositum non peccandi sit de necesßitate Contritionis?

R. Per se & ordinariè, est necessarium ad Contritionem vel attritionem, formale, hoc est actuale & expressum in volũtate, propositum non peccandi in futurum mortaliter. Quamuis per accidens, in casu inaduertentiæ aut obliuionis, non necessario requiratur: vt si quis bona fide vere detestetur peccatũ, quod confitetur, & non aduertat ad formale propositum in futurum, satisfacit per illud virtuale propositum, quod in efficaci detestatione includi censetur, & reuera includitur. *Suarez disp.* 20. *Sect.* 4.

Sitne propositum, & supra dis. 4. *Sect.* 3.

Similiter in casu mortis proximæ: Tunc enim de proposito vitæ futuræ non sumus multum solliciti. Nec talis obligãdus erit ad habendum propositum, sub conditione, si vixero. *Suarez disp.* 4. *Sect.* 3.

PVNCT: VIII.

Quæ occasio à Pœnitente deserenda?

R. Occasio Proxima, qua Pœnitens si vteretur sẽper aut frequenter in peccatũ mortale caderet, pensis suis circumstantiis, scilicet fragilitate, & experientia: iudicio ipsiusmet pœnitentis aut Confessarii. Nec sufficit credere, se ob eam interdum seu rarißimè peccaturum, dummodo adsit firmus animus non peccandi. *Vide etiam Nauar. C.* 3. *n.* 10.

TITVLVS IV.

De Confeßione.

Habet puncta Septem.

PVNCTVM I.

Confeßio Generalis totius vitæ si est necessaria vel vtilis valdè. Et an poßit in omittere aliquod peccatum aliâs confessum?

R. Ex natura sua non est necessaria sed maximè vtilis. 1. Ad exercitium humilitatis. 2. Pœnæ minutionem. 3. Ad consilium accipiendũ, & directionem in vita spirituali per confessorẽ faciendam.

Gratia tamen subiecti aliquando est necessaria, aliquando vtilis tantùm, aliquando nociua.

Necessaria his, quorum præteritæ confesßiones inualidæ erant. vt infra pun. 5. dicetur.

Aliquando vtilis: his, qui pacata vel persuasibili conscientia sunt

prædîti, & ob aliquem honestum finem, volũt iterare Confesſionem.

Alijs nociua, scilicet scrupulosis, qui non modò non tranquillitarent conscientiam, sed & valde turbarent.

In qua Confesſione cælare aliquod peccatum mortale, alias ritè confessum, & validè absolutum, non est peccatum mortale: quia peccatum mortale alias benè confessum, non est materia necessaria Confesſionis.

PVNCT: II.

Quæ peccata de necesſitate confitẽda, quæ de congruitate, & quibus cum circumstantiis.

℟. Peccata mortalia certa vel dubia, sunt de necesſitate confitenda: Venialia de congruitate.

Porrò circumstantiæ ab aliquibus plures, ab alijs pauciores numerantur. Communiter traduntur in hoc versu 7.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quamuis diligentius obseruandæ, in confesſione posſint dici 4.

1. *Conditio peccantis.* 2. *Conditio complicis.* 3. *Natura in particulari, quamuis hæc non propriè circumstantia sit peccati, sed ipsa peccati species.* 4. *Numerus: quamuis & ipse non tam circumstantia quã peccati multiplicatio sit.*

PVNCT: III.

Qomodo differunt circumstantiæ mutantes speciẽ ab his, quæ aggrauant?

℟. Differunt. 1. Quòd circumstaniæ aggrauantes notabiliter, augent malitiam intra eandem speciem: Mutantes autem speciem transferunt peccatum ab vna specie ad aliam, vt furtum in loco sacro, à simplici furto ad sacrilegiũ. Vnde circumstantia mutans speciem, cõstituit distincta peccata, seu addit nouum peccatum. Circumstantia verò aggrauans, non addit nouum peccatum, sed cõ currit ad constitutionem eiusdem.

2. In ordine ad confesſionem, quòd circumstantias mutantes speciem necessariò exprimendas in confesſione, certisſimum est. Aggrauantes autem, controuersum, & sub opinione est. *Suarez disp.* 22. *Sect.* 3. Nihilominus sanum est consilium ac vtile & in conscientia tutius tales manifestare.

Exemplum talium circumstantiarum, Vt fractio ieiunij per vetitos cibos aggrauat, plus quàm per binam comestionem ciborum licitorum, & tamen vtraq; est eiusdem speciei. Alia exempla adducit Suarez, sed ista posſent reduci ad distinctionem specificam vel numericam.

Quomodo autem cognosci posſint circumstantiæ aggrauantes, non potest certa regula tradi, sed prudenti arbitrio est relinquendum, & iudicio seu testimonio conscieĩtiæ, nam ipsa musſitando

sitando accusat & suggerit.

PVNCT: III.

Quibus casibus tenetur quis confiteri?

℞. Non obligatur aliquis vniuersaliter, statim ac peccatum commissum est; sed in casibus tantum his. 1. Si immineat articulus vel periculum mortis, & præceptum non sit impletum ante. 2. Quando sumenda est Eucharistia. 3. Ad semel in animo confitendum, obligatur quisque præcepto Ecclesiæ. 4. Obligatur quoque tunc, quando Confessio est medium necessarium ad superandam tentationem. *Vide D. Th. 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4. Suarez disp. 35. sect. 3.*

PVNCT: IV.

Quibus casibus tenetur quis iterare Confessionem?

℞. Quotiescunque fuit inualida vel ex parte Confessoris, si non habuit facultatem, diligentiam in audiendo, peritiam in tricis pœnitentis explicandis, & determinandis, intentionem in absoluendo, aut defectum in auditu patiebatur. vel ex parte Pœnitẽtis defectu doloris, propositi, integritatis Confessionis, siue ex proposito siue ex negligentia præmeditationis vel discussionis conscientiæ.

PVNCT: V.

Quæ Confessio est perfecta?

℞. dupliciter. 1. Illa quæ ornata est conditionibus 16. quarum quædam ad necessitatem eius spectant, aliqua ad benè esse, vel decorem eius, iuxta illud quod dici solet: Perfectum est cui nihil deest. Porrò istæ 16. conditiones continentur 4. versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis.
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda:
Integra, secreta, lachrymablilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

2. Quod per hanc interrogationem potest insinuari Confessio informis & formata, quarum prima imperfecta, secunda verò perfecta appellatur à Sotto 4. d. 18. q. 3. a. 2.

Est autem Confessio formata & perfecta, quæ non tantùm absolutione completur, & validum Sacramentum efficit, verumetiam effectu Sacramenti, id est gratia informatur. Informis verò illa est, quæ quamuis sit valida quoad substantiam, quia ex ea verum efficitur Sacramentum accedente absolutione, tamen post absolutionem pœnitens non informatur gratia, nec consequitur remissionem peccatorum, licet nec peccet, nec iterare teneatur confessionem sed tantum defectum supplere & manifestare.

Verùm

Verum in hac materia variæ sunt opiniones. Aliqui enim omnino negant dari confessionem informem, quia attritio sufficiēs ad valorem Sacramenti, sufficit etiam (inquiunt) ad effectum Sacramenti.

Alij admittunt Confessionem informem, sed diuisi sunt. D. T. 4. d. 17. q. 3. a. 4. ex defectu attritionis intensiuo, (nempe deficiente dolore) nonpercepto tamen inculpabiliter, per ignorantiam inuincibilem, aut inaduertentiam naturalem, & ideo absq; nouo peccato à pœnitente, censet Sacramentum esse validum, absq; effectu gratiæ. Secus si dolor minor esset, quàm sit vt minimùm necessarius, vel ex certa scientia, vel ex ignorantia culpabili. Tunc enim non esset etiam ipsum Sacramentum validum, vt pote cum actuali peccato, negligentiæ. Et multò magis si talis defectus peccaminosus in confessione non explicaretur. Neq; talis confessio diceretur informis, sed potius nulla. Vide etiam Soto 4. d. 18. q. 3. a. 3.

At Suarez t. 4. disp. 20. sect. 5. Hanc reijcit, aliam declarationem subijciens, videlicet, quod confessio informis, vt præfert. censenda est, non ex defectu intensionis vel qualitatis attritionis, sed ex defectu extensiuo, seu integritatis eius, ob naturalem inaduertentiam, vel inculpabilem obliuionem, propter quam quis non recordatur alicuius peccati mortalis, & attritionem habet de cogitatis tantùm, non extendens eam actu ad oblitum, seu obliuioni traditum; neq; formaliter neq; virtualiter: Et ideò Sacramentum fit validum & verum, sed quia effectus gratiæ non obtinetur, ideò confessio dicitur informis.

PVNCT: VII.

An aliquod peccatum possit à pœnitente celari, & Confessori non indicari?

℞. Poteſt ad vitandum graue damnum ſeu nocumentum proprium vel alienum. Quia præcepta poſitiua (quale eſt de integritate Confeſſionis) non obligant cum tanto diſpendio & periculo, & qui non poteſt ſine eo diſcrimine confiteri, cenſetur tunc moraliter impotens ad confitendum illud peccatum.

Exempla.

Si timeret graue scandalum in propria salute Spirituali, vel corporali.

Si timeret rationabiliter Confessorem non seruaturum Sigillum, & ex sua confessione occasionem sumpturum ad infamandum se, vel proximū.

Si dicendo aliquam circumstantiam, probabiliter cum fundamento, timeret Confessorem esse scandalizandum, & ad aliquod graue peccatum inducendum.

An verò tunc debeat differri Confessio, vel quando possit & debeat fieri. lege Suarez disp: 23. Sect: 2.

Animaduersio.

Cauendum tamen est, ne occasione istius veritattis traditæ, aliquis sumat sibi ausam erroris, & ad fictas causas tacendi peccata in Confessione trahat.

Integritas confessionis de iure diuino est: & ideo vbi ius naturale diuinum aliud non suadet, omnino seruandum est.

TITVLVS V.

De Satisfactione.

Habet puncta Octo.

PVNCT: I.

Qualis & quanta debeat esse Pœnitentia?

℞. Lege Ecclesiastica non est taxata, nec voluntati Confessoris absolutè relicta, sed prudenti arbitrio eiusdem Confessarii commissa est, quæ sumi debet ex peccatorum grauitate, & pœnitentis dispositi circumstantis, ita vt pro posse seruetur proportio, & iustitia. Ex rationabili tamen causa propter fragilitatem, aut etiam graues occupationes pœnitentis, leuior satisfactio potest imponi: & ob impotentiã dissimulari ac omitti potest.

PVNCT: II.

Ad implendam satisfactionem quæ requiruntur?

℞. Duo. 1. Vt sit personalis; id est non per alium facta, nisi Confessor expresserit aliud. Alioquin pœnitens non satisfacit præcepto Ecclesiæ, neq; sortietur effectum, quẽ sortiretur, si personaliter impleret. 2. Vt impleatur in gratia, aliâs Satisfactio non habebit effectũm tunc, (quamuis habitura sit recedente fictione) Sufficiet tamen illa, quæ in peccato impleta est, ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem à Confessore impositam.

PVNCT: III.

Quot modis satisfacere possumus?

℞. Tribus. 1. Per bona corporis, seu afflictiones corporales vt sunt ieiunia, flagellationes, peregrinationes, vigiliæ. 2. Per bona animæ, vt sunt orationes spirituales, vocales aut mentales. 3. Per bona externa, vt sunt eleemosinæ.

PVNCT: IV.

Quid operatur ista satisfactio?

℞. Operatur aliquem effectum ex opere operato. Iste autem effectus est remissio alicuius pœnæ tẽporalis præter illam, quæ respondere posset & opere seu merito operantis.

PVNCT: V.

Possetnè Confessor commutare, vel tollere Pœnitentiam iniunctam ab alio?

℞. Potest æqualis, audita confessione eorundem peccatorum, non tamen inferior, quâ inferior, id est, quo ad sibi reseruata.

PVNCT: VI.

In quo differt satisfactio Sacramentalis à Restitutione?

℞. Satisfactio (vt colligi potest ex D. Th: 4. d. 15. q. 1. a. 5. q. 1. c. 1. Sotto 4. d. 19. q. 1. a. 1. Suar. disp. 37.) est compensatio actionis iniuriosæ alicui factæ. Restitutio est redditio vel compensatio ipsius rei alicui debitæ.

Lessius de Iustitia lib. 2. cap. 7. dub. 4. n. 18. ponit 4. differentias.

1. Quod satisfactio sit quiddam generalius: Omnis enim Restitutio est satisfactio, non contra.

2. Satisfactio respicit personam: Restitutio rem.

3. Satisfactio propriè fit pro iniuria illata: Restitutio propriè, vbi damnum illatum, vel res alterius ablata. 4. Satisfactio fit etiam pro damno irreparabili: Restitutio solùm pro reparabili. Vide ibi.

PVNCT: VII.

An per opera aliâs debita possit fieri Satisfactio?

℞. Aliqui negant, & benè saltem regulariter: aliqui concedunt per opera alias præcepta vel debita, posse fieri satisfactionem.

Si tamen Confessor imponens pœnitentiam non exprimit, intelligendum erit de operibus supererogatis, seu consilij, & non de aliâs debitis.

PVNCT: VIII.

Quid conferunt Indulgentiæ ad hãc satisfactionem Sacramentalem?

℞. Multum sanè: quia loco satisfactionis subrogantur ad delendas pœnas temporales, post Confessionem relictas.

Intelligendum est autem per Indulgentias remitti Pœnitentias impositas, vt satisfactiuæ sunt, non vt medicinales. Et quia Indulgentiæ non dantur in destructionem sed in ædificationem animæ: ideo Pœnitentiæ iniunctæ, propter Indulgentias, non sunt omittendæ. Suarez disp. 38. sect. 10.

TITVLVS VI.
De Absolutione.

Habet puncta 13.

PVNCT: I.

Quæ verborum forma in Absolutione requiritur de essentia & quæ de congruitate?

℟. Essentia absolutionis stricte loquendo, sunt illa duo verba.

Absoluo te.

Dicendum tamen est ordinariè.

Ego absoluo te.

Nam omisso Pronominis (ego) graue peccatum inducit, nisi in defectu temporis.

Cætera omnia sunt de congruitate.

PVNCT: II.

Quis ordo seruandus in absolutione à peccatis excommunicatione aut irregularitatte?

℟. Vt prius fiat absolutio à Censuris, deinde à peccatis secundum ordinem consuetum. *Vide Nauar. cap 26. à n. 7. ad n. 22.*

Irregularitas rarò accidit dispēsanda in confessione, nisi fiat coram Prælato facultatem habente: aut altero specialiter super eam potestatem habente.

PVNCT: III.

Qui sint casus reseruati Papæ?

℟. Multi, & in duplici ordine. Nam alij reseruati reseruatione strictissima in Bulla Cænæ Domini. Alij verò extra Bullam ferè innumerabiles, *quas videre potes in nostris elementis ad sacras confessiones.*

PVNCT: IV.

Qui & quot Casus reseruati Episcopo?

℟. In Synodo Diæcesana numerantur 25. fol. 76.

Quoad alios Episcopos absolutè, possunt distingui: Quod aliqui sint Casus de iure Episcopo reseruati: Alij de consuetudine generali. Alij constitutione particulari.

Etiam tales numerantur in Elementis.

PVNCT: V.

An Confessor absoluens, à sibi reseruatis peccet mortaliter?

℟. Extra articulum mortis absoluens, peccat mortaliter, & præterea absolutio inualida est.

PVNCT: VI.

An possit Confessor absoluere aliquē contra suam opinionem?

℟. Potest, imò & debet, si pænitens ha-

tens habeat cõtrariam opinionem hucusque probabilem, seu non antiquatam, sed authoritatibus Doctorum probatorum, & solidis rationibus munitam: aliâs non.

PVNCT: VII.

Peccatne Confessor absoluens aliquẽ absq; contritione, vel attritione debita?

℟. Peccat grauiter, quia contaminat & irritum facit Sacramentum atque inualidum.

PVNCT: VIII.

An quilibet pœnitens absolui possit, & quolibet loco, & quolibet tempore?

℟. Qui verè pœnitens est, nullum impedimẽtum habens, absolui potest ab habẽte iurisdictionem ordinariam vel delegatam, vbique & semper, hoc est, non tantùm in Diœcesi ad quam Pœnitẽs & Confessor pertinent, sed etiam extra. Hoc enim licet in iurisdictione nõ requirente strepitum in foro externo: semper quoque, id est, tam extra quàm in Paschali tẽpore, dummodò habeat absolutam & non limitatam facultatem.

PVNCT: IX.

An habens authoritatem absoluendi à Casibus possit absoluere à Censuris?

℟. Regulariter non potest. Quia nomine Casuum non intelliguntur Censuræ. Nihilominus quãdo Censuræ non sunt reseruatæ, tunc ille qui habet facultatem super Casus, habet etiam super Censuras non reseruatas. Nam cui datur facultas super aliquid, datur etiam super id, quod necessariò prærequiritur, & sine quo illa facultas executioni mandari non potest. Absolutio autem à peccatis prærequirit absolutionem à Censuris, si reseruatio nõ impedit.

PVNCT: X.

Quæ Absolutio danda est in Reconciliationibus?

℟. Si verum peccatum exprimitur, consueta, quamuis abbreuiata, dicendo, Authoritate D. N. I. C. Ego absoluo te, In nomine &c. Si dubium peccatum, conditionalis absolutio, videlicet: Si vera peccata habes, Ego te absoluo, In nomine. &c. Si nullum peccatum manifestetur, adeò, vt neq; aliâs ritè confessum, subiiciatur clauibus: nulla absolutio potest dari, sed pœnitẽs debet remitti cum Dei benedictione.

Eniti tamen debet Confessor, præsertim in simplicium confessione, aliquam materiam Cõfessionis explorare, & saltim antiquam eruere, vt otiosum verbum, vel quid simile.

PVNCT: XI.

In articulo mortis non valentes confiteri, sed tantùm signa Contritionis

oſtendentes, quomodo ſunt abſoluendi?

℞. Si ſigna illa in particulari, aliquod, vel vnum peccatum indicāt, ſunt abſoluendi, tam ab excommunicatione quàm à peccatis.

Si in communi ipſum moribundum peccatorem demōſtrant, tunc etiā eſt ab excōmunicatione abſoluendus.

Quo ad peccata verò, aliqui negant, aliqui cenſent abſoluendum. Nonnulli tandem abſoluendū ſub conditione iudicant. Si capax abſolutionis es. Ego abſoluo te. &c.

PVNCT: XII.

Sæpius recidiuantes ſuntnè abſoluendi?

℞. Si domi occaſionem peccati mortalis fouent, vt cōcubinarii. &c. non ſunt abſoluendi, donec illam eijciant: ſi non fouent, tamen efficax propoſitum non peccandi non habent, aut dolorem inſufficientem habent, non ſunt pariter abſoluendi.

Quod ſi ſufficienter contriti vel attriti ſunt, abſolui debēt, etiamſi Confeſſor credat eos relapſuros.

PVNCT: XIII.

An aliqua cautio ſit petenda, à Pœnitente, & in quibus Caſibus?

℞. 1. Eſt petenda cautio iuratoria in omni excōmunicatione, ob magna crimina, vt ob hæreſim, incendium, percuſsionem Clerici, &c. & in Caſibus Bullæ Cœnæ. *Suarez d. 5. diſp. 19. Sect. 2. n. 10.*

Iuramentum autem hoc eſſe debet, de ſtando mandatis Eccleſiæ in illa materia, pro qua excōmunicatio eſt data.

2. Si tale delictum fuerit ob quod lata fuit, vt ſpecialem ſatisfactionē requirat, realis & actualis debet præcedere ſatisfactio ſine mora.

In caſu impotentiæ & quacunq; difficultate morali, cautio requiritur pignoratitia.

Si hæc præſtari non poteſt, fideiuſſoria, ſi neq; hæc, iuratoria exigitur. *Suarez diſp. 21. ſect. 3. n. 2.*

3. In vſurario manifeſto, vt infrà dicetur.

Hic nota, quod in Abſolutione ab Excōmunicatione hæreſis & aliorum Caſuum in Bulla cœnæ, in articulo mortis, abſoluendus, duplicem cautionem præſtare tenetur. 1. de parendo mandatis Eccleſiæ. 2. de ſatisfaciendo vno ex tribus illis modis ſecundùm prudens arbitrium Confeſſoris. Nam ſi realis ſeu actualis ſatisfactio eſſe non poteſt ſtatim, fiat cautio oppignoratitia, vel fideiuſſoria, & defectu earum, iuratoria. Quamuis in Caſu hæreſis nulla ſatisfactio pecuniaria exhibenda ſit, ſed ſolum iuramentum ſic ſatisfaciendi: Quòd ſi hæreticus decepit aliquos tradens, doctrinam hæreticam eſſe verum, tenetur comm eis retractare, eoſq; inſtruere de veritate. Sanchez lib: 2. Moral. C. 12. n. 19.

In aliis Excōmunicationibus potest habere locum Satisfactio pecuniaria, vbi expensarum & damni ratio habetur.

Aduertenda hic Caiet. doctrina in Sum. V. Absolutio, C. penult.

Oportet hæc inquit, Confessores scire non tantum propter casus occurrentes, sed etiam propter euitandas Censuras. Sixt. 4. cum in articulo mortis contingit absoluere à Casibus reseruatis in Bulla Cœnæ D.

TITVLVS VII.

De Sigillo.

Habet puncta 10.

PVNCTVM I.

Quomodo differat Sigillum Confessionis à Sigillo secreti?

℞. 1. In essentia, quia Sigillum secreti est naturale: Confeſsionis est supernaturale, sacrum, & Sacramentale. Ac propterea in illius fractione, vna est malitia, scilicet, quod sit cōtra iustitiam: In istius duplex aut triplex, quia & cōtra iustitiam, & contra reuerentiam Sacramento debitam, ac contra bonum eius, nam odiosa efficeretur.

2. In obligationis arctitudine, quia naturale aliquando potest reuelari, videlicet quando eius tectio cederet in damnum notabile proximi, & præsertim Reipublicæ, essetque in fieri & expectari. Secretũ verò Cōfeſsionis, tā arcteobligat, vt in nullo casu scādalo, damno: & propter nullũ finem, etiam pro tuenda Rep. ab ingenti malo tēporali aut spirituali, violare illud liceat, nec potest aliquis excusari, aliquo præcepto, vi, metuúe

PVNCTVM II.

An Sigillum hoc sit de necessitate Confessionis?

℞. Est de necesſitate præcepti, ita vt frangens, graue sacrilegium committat: Non tamen de necesſitate Sacramenti, ita vt irritet ipsum: validum enim est Sacramentum, quamuis iniquus Cōfessor fregerit Sigillum. *Vide Soto* 4. dist: 18 q. 4. a. 5. *post Concl.* 1.

PVNCTVM III.

An quæ sciuntur in Confessione præter peccata cadant sub Sigillo Confessionis?

℞. Ea quæ sciuntur in Confesſione, possunt in tres Ordines distribui. Nam quædam pertinent directè ad Sigillum Confesſionis, vt est peccator, peccatum non tantùm mortale, sed etiam veniale: complex peccati, & imprudenter detectus in Confesſione, circumstantiaque peccatorum.

Quædam indirectè spectant ad Sigillum Confeſsionis, vt ſunt illæ res, quæ non ſunt peccata, tamen ex earum manifeſtatione poſſet veniri in notitiam peccati, vel peccatoris. *Vide D. Th. 4. diſt: 21. q. 3. ar. 2. Et Sotto d. 18. q. 4. a. 5. Vbi exempla ponuntur in Concl: 3.*

In tertio ordine illa, quæ ad peccata nihil pertinent, ſed cum peccatis aliquando narrantur, ſuntque omnino impertinentia ad Confeſsionem, vt hiſtoriæ: & conſequenter non comprehenduntur ſub Sigillo. Nihilominus tamen & iſta ſummo ſtudio ſunt celanda, tum propter ſcandalum, tum propter pronitatem, quæ ex conſuetudine accidere poſſet. Vnde optimum eſt conſilium Sotto dicentis: Quãuis (inquit) neque de re vlla per confeſſionẽ audita debeat ſacerdos vnquam vel mutire, præſertim cum circumſtãtes intelligere poſſunt in confeſsione fuiſſe audita: quoniã ſtatim pertimeſcunt, eò quod ibi audita, non adeò ſanctè & ſtrictè reconduntur.

PVNCTVM IV.

An licet detegere peccata in Confeſsione audita, quando publica ſunt, aut ſaltim in communi, non nominando perſonam?

℞. Si adeſt rationabilis cauſa, licet D. Th. 4. d. 21. q. 3. a. 3. Quia ille non reuelat Confeſsionem, ſed quod per aliam viã ſcit, dicit: Alioquin grauiſsimum onus eſſet Confeſſoris, ſi propter Confeſsionem amitteret ius vtendi ſcientia vel cognitione ſua.

Prudentia tamen neceſſaria eſt in tali caſu propter ſcandalum vitãdum. D. Th. 4. d. 21. q. 3. a. 3. *Sotto* d. 18 q. 4. a. 6.

Quo ad alteram partem, ſcilicet, aut ſaltim in communi, non nominando perſonam. Reſpondetur. Quãdo peccatum ſic in genere detegitur, vt nullatenus ad notitiam perſonæ referri poſsit, non eſſet ſecundùm Scotum reuelatio confeſſionis. *Sotto vbi ſupra ar. 5. Conc. 2.* Tamen imprudentia & ſcandalum eſſet, dicere talia in Confeſsionibus fuiſſe audita.

PVNCTVM V.

Peccatnè reuelans dicta ſibi ſub Sigillo Confeſſionis, ſed extra Confeſſionem?

℞. Quamuis talis cõmiſsio ſecreti non ſit materia Sigilli Sacramentalis, imò ſit abuſus eius, ac proinde illicitus, tamen obligat, tanquã ſecretum naturale vel humanum. Vnde ſi fiat reuelatio in materia leui, erit leue peccatum, ſi in graui, mortale.

Sotto 4. d. 18. q. 4. a. 5. Concluſione 5. Vide etiam D. T. 4. d. 21. q. 3. a. 2. q. 2. n. 2.

PVNCTVM VI.

An aliquo casu possit peccatum confessum reuelari?

℞. In nullo prorsus casu, si vera fuit cõfessio:hoc ẽ, intentione faciendi, accusationem coram Deo, & non animo peruertendi Confessorem, vel pertrahendi ad conspirationem facta.

Et quamuis aliqui negent, id licere etiam ex facultate Pænitentis, tamen D. T. 4. d. 21. q. 3. a. 2. cum multis alijs Theologis & Iurisperitis asserit: (quæ sententia vera est & communis,) scilicet, accedente licentia Pœnitentis, licitè potest reuelari. Quod tamen temerè non est faciendum, sed cum rationabili causa. *Vide Decis. l.* 1. *c.* 23. *n.* 15.

PVNCTVM VII.

An dans Pœnitentiam publicam pro peccato occulto in Confessione audito dicatur reuelare Confessionem?

℞. Si ita datur & impletur, vt deueniri possit ad notitiam aliorum, eam fieri ex præscripto Confessoris ob culpam occultam aut publicã; est reuelatio.

Vnde non expedit pœnitentiam iniungere publicam, non tantùm pro occulto, sed neque pro publico crimine. Neque potest ad eam cogi pœnitens, & satis est, si pro publico satisfaciat peccator occultè. Medull. p. 3. §. 7. n. 7. satisfactio.

PVNCTVM VIII.

Quas pœnas incurrit sigilli fractor?

℞. 1. Nulla ẽ Cẽsura aut pœna ipso facto. Peccat tñ inprimis mortaliter, cuius absolutio ẽ reseruata Episcopo in Synodo Diœcesana. 2. Est pœna depositionis ferenda. 3. Cogendus talis sacerdos, vt perpetuò ignominiosè peregrinetur vel detrudatur in Monasterium.
Suarez Sott. & alij.

PVNCTVM IX.

Quæ cadunt sub sigillum secreti naturalis. Et an omnis, detectio sit mortalis?

℞. Illa quæ neque sũt notoria neq; infamia proclamata, & quę quis alicui committit cum obtestatione fidei de silentio tenendo, & quorũ manifestatio vergit in præiudicium vitæ, famæ alicuius, aut bonorum externorum.

Estque peccatum mortale, si sit cum graui præiudicio.

PVNCTVM X.

An secretum naturale reuelari debeat Iudici ad præceptum illius?

Si ex occultatione eius malum pendet in futurum, cum præiudicio communitatis vel tertij, potest & debet reuelari: Si non est in fieri, nec speratur aliquod damnum, non debet reuelari.
Vide D. T. 22. *q.* 70. *a.* 1. 2. *Sot. Iust. lib.* 5. *q.* 7. *a.* 1. 1. *Arag.*

Quod si secretum alicui pate-

factum est consilij vel auxilij petendi causa. ad salutem animi vel corporis miseri delinquentis, vt medico, aduocato, obstetrici, multò magis debet celari. *Bannes de Iust. q. 70. a. 1. Less. lib. 2. cap. 30. dub. 6. Salon. q. 70.*

TITVLVS VIII.

De Restitutione.

Habet puncta 10.

PVNCTVM I.

An peccans contra charitatem debitam proximo, in non subueniendo ei in necessitate, vel ad peccatum inducendo, teneatur ad aliquam restitutionem?

℞. Non subueniens in necessitate etiam extrema, non tenetur ad restitutionem, quæ non ex præcepto charitatis ac misericordiæ, sed ex obligatione iustitiæ, consurgit.

Et quamuis in extrema necessitate omnia sint communia quo ad vsum, semper tamen manet dominium, quo ad dispensationem penes possidentem.

Qui verò aliquem ad peccatum pertraxit, ad aliquam restitutionem propriè non tenetur, sed aliquam obligationem habet communem, seu præceptum fraternæ charitatis, admonendi & reducendi errãtem: quamuis arctiori vinculo teneatur suppeditans causam peccandi, quam non suppeditans. Et multò magis, si seductus positus est in extrema necessitate, vt quia obstinatus est in peccato, vel moriturus in ipso.

Sciendum tamen est, quod inductio dupliciter fieri potest. 1. Vi, metu incusso, & fraude, ac mendacio: & tunc omninò tenetur ex iustitia resarcire malum, vt auferre violentiam, deserere minas, fraudes aperire, & retractare errores.

2. Corruptio proximi potest esse citra fraudem & violentiam, vt inducendo prece, precio, consilio, malo exemplo; & tunc tenetur lege charitatis, quamuis plusquam alij curare, verbis, exemplis, orationibus, & omnimodo possibili per se vel aliũ, vt emendetur.

Quod si monitus nolit resipiscere, vel non sit spes emendationis; ad nihil amplius tenetur. Azor.

PVNCT: II.

An consentiens in damno dato teneatur, ex æquo restituere prout ille qui damnum dedit?

℞. Cõsẽtiens duplex esse potest:

Per actum internum absque cooperatione, id est absque eo quòd concauset actionem iniustam, & ad eum nihil pertinet. Et iste peccat quidem, sed ad restitutionem non tenetur, eo quod consensus eius nihil ad hoc profuit.

Alius consensus per cooperationem, nimirum, quia & ex consentiente pendet effectus, & consensus est causa illius. Et hic tenetur ad restitutionem, secundum quòd causa fuit, totius vel partis. Vnde si totius damni causa fuit, ad totum reparandum obligatur. Si solùm parti damni, causam dedit ad partẽ, non secus ac ipse author, in solidum seu integrum.

Et quidem 1. is ad quem res peruenit. 2. Executor seu author ablationis. 3. Cæteri cooperatores consulentes, consentientes, laudantes animantes. Less. l. 2. cap. 13. dub. 3.

Si verò nihil ablatum est, sed tantummodo damnum irrogatum, primo loco qui coegit vel fraude induxit, vel imperauit, suasit fieri, rogauit, 2. & 3. vt supra.

Notandum.

1. *Quod si posteriores soluerint, priores tenentur refundere: si prior; alij ad nihil tenentur.*

2. *Non est improbabile, quod cæteri teneantur Executori ad aliquid refundendum, si ipsum induxerunt, aliàs non facturum. Et hæc de consensu propriè dicto prout numeratur inter nouem modos cooperationis ad damnum alterius. In quantum verò sumitur latius pro cooperatione positiua, & per nouem modos diuersificatur: dicetur in tertio puncto.*

PVNCT: III.

Qui sunt illi 9. modi, quibus quis dicitur consentire delinquenti?

℟. Illi, qui continentur in his duobus versibus:

Iussio, consilium, cõsensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstãs, non manifestans.

His itaq; diuersis modis cooperationis, seu vt præfertur consensus, deprehenditur aliquis suo modo consentire delinquenti.

Tunc autem tenetur ad restitutionem (& quidem insolidum) quando est causa damni. Tunc verò censetur causa damni, quando alterius animum efficaciter mouet, iubendo, consulendo, rogando, promittendo, consentiẽdo, seu ferrendo suffragium iniquum, laudando malefactorem vel exprobrando ignauiam, (si ex tali laude vel exprobratione alter mouetur ad maleficium) recursum præbendo, vt moraliter censeatur furi cooperari ad damnum inferendum vel ad illatum non reparandum. Censetur autem tunc cooperari, quando ita furem occultat, vt in posterum det illi spem similis opitulationis, & fur illa fidens, r[illegible]rsum damnum inferat: alio-

quin si non det illi spem refugij in posterum, non tenetur, quia non eo fine nec eo modo abscondit, vt moraliter censeatur causa damni, sed tunc merè per accidens ex illo opere damnum sequitur.

Receptator qui rem furtiuam in custodiam accipit, vt furi seruet, si tamē absq; notabili incommodo poterat ei custodiam denegare. Participās dupliciter. 1. *Prædæ. Et hac ratione tenetur pro ea parte quæ ei obuenit.*

2. *Iniquæ operationis præbendo auxiliū & adiuuando ad executionem: si id sponte & sine compulsione fecerit tenetur in solidum, sicut & cæteri, secundum rationem causæ, quam ad damnum exhibuit.* *Less. n.*28.

Mutus qui cum esset superior omittit præcipere, consulter consulere. Si custos, clamare, aut strepitum edere, ad damnum impediendum.

Non obstans, qui tenebatur ex officio impedire damnum vt Princeps, Magistratus, præpositi viarum.

Non manifestans, qui ex offico tenebatur, vt custos rei deputatus non manifestat malefactorem siue ante factum, quando damnum erat impediendum: siue post factum, quando sarciendum erat.

PVNCT: IV.

An Confessarius qui per ignorantiam vel negligentiam absoluit aliquem ante restitutionē iniunctam sit obligatus ad restitutionē?

Confesor in materia & occasione restitutionis tripliciter se gerere potest. 1. Tacendo tantùm seu merè negatiuè, & tunc non tenetur Ratio: quia quamuis teneatur ex officio & iustitia omnia facere respectu pœnitentis, non tamen tenetur ex iustitia, negocium agere tertij: siquidem transgresio eorum, quæ ex iustitia, non verò ex sola charitate debentur, restitutionem inducit. 2. Inducendo ad non restituendum, seu dissuadendo restitutionem: & tunc tenetur restituere Confessor casu quo pænitens paratus esset restituere.

3. Disimulando & non respondendo, ad interrogationem pœnitentis, siue ex intentione, siue ex ignorantia crassa, siue etiam ex negligentia, non curando discutere casum restitutionis: Tunc enim tenetur ad restitutionem ex vi consensus interpretatiui: sicut & inducens.

PVNCT: V.

An qui furatus est rem aliquam, & illam habet, satis ei sit, restituere æquiualens?

℞. Non satis, sed regulariter restituendum est idipsum: nisi creditor sit æquiualenti vel alia re contentus & nisi per restitutionem eiusdem rei, peccator occultus manifestaretur, aut aliud magnum incommodum sequeretur.

PVNCT: VI.

An locans rem furto ablatam, debeat restituere pretium locationis Dño?

℞. Non tenetur quidem ad pretium locationis restituendum: sed ad interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, si & quatenus passus est verus Dominus, ob priuationem pecuniæ, seu iumenti meritorij, aut locabilis.

PVNCT: VII.

Qui pro committendo aliquo peccato pretium accipit, an illud restituere teneatur?

℞. Quamuis sint variæ opiniones dicitur tamen hic breuiter & resolutè, quòd acceptum ob turpem causam, seu propter opus quod est peccatum; opere impleto, non est necessario restituendum: ante opus tamen impletũ debet restitui.

Probabilis etiã est sententia, quod acceptum ob crimen legibus punibile. nisi censeatur esse donatum, est restituendum, vel statim pauperibus, quod est consilij: vel post sententiam, quod erit debiti Less.

PVNCT: VIII.

Quæ causæ non restituentem à peccato excusant?

℞. Duodecim. 1. Inopia debitoris seu impotentia. 2. Remisio Creditoris. 3. Cesio bonorum, quæ æquiualet necesitati. 4. Damnum creditoris, Reip. vel Tertij. 5. Solutio Creditori creditoris. 6. Rei debitæ interitus, quia tunc alia æquiualens subroganda est. 7. Iudicis vel iuris authoritas. 8. Religionis ingressus, sed secundum declarationem Doctorum. 9. Excommunicatio Creditoris. 10. Incertitudo creditorum, nam tunc in pauperes facienda est restitutio. 11. Dispensatio vel compositio cum Papa, quãdo incerti sũt creditores, *cum Pontifex sit supremus Princeps in spiritualibus, & eius sit de temporalibus suorum subditorum disponere prout expedit ad bonũ spirituale, præsertim quando ipsi veri Domini nequeunt, eo quòd non sunt noti. Et idem sit communis parens pauperum, & causarum piarum.* 12. Compensatio si ea vti potest & prætendit. *Vide Less. lib. 2. cap. 16. princ. & declarationem in sequentibus dubiis.*

PVNCT: IX.

Bonorum incertorum Restitutio quando facienda?

℞. Bona incerta, id est habentia Dominũ ignotum, post sufficientẽ inquisitionem illius, & incerta debita siue ex contractu, siue ex delicto, restituenda sunt in pauperes, saltim iure positiuo, & consuetudine quamuis non iure naturæ.

Si habens talia bona, verè pauper est, poterit ea tanquam vnus ex pauperum numero sibi retinere, neq; postea tenebitur pauperibus restituere copiosior effectus post hanc applicationem. Less. C. 14. n. 42.

PVNCT: X.

Infamans Proximum de delicto vero, an restituere teneatur, & quomodo?

℟. Sine dubio tenetur restituere, sed modus difficultatem præsefert. Nam per aliquos modos confirmaretur diffamatio, tanquam de peccato vero sed occulto, vt si quis diceret, se malè, imprudenter, contra iustitiam locutum fuisse, vel nō benè tunc aduertisse, & postea deprehendisse, detractorem se fuisse.

Per alios modos esset cum mendacio, vt si retractans diceret se falsum dixisse vel mentitum fuisse, intelligendo de falso practico, quod hic locum ab aliquibus non habere dicatur.

Et tandem melior modus ab aliquibus assignatur, scilicet ab Azor. t. 3. l. 5. c. 9. q. 7.

Non obligatur (inquit) diffamans ad dicendum, se esse mentitum, neque id dicere potest.

Satis est, si dicat, se malè fecisse, nec esse sibi credendum, & se esse deceptum, nec semper verum est, quod dicitur ab homine. Et hoc sufficit, quia non potest plus facere: Ad impossibile autem nemo obligatur.

Et ita facilius est destruere, quā construere: famam lædere, quàm reparare.

TITVLVS IX.

De Vsura.

Habet puncta 10.

PVNCT: I.

Quid sit Vsura, & in quibus rebus consistat?

DEfinitio est ista. Vsura est lucrum ex mutuo.

Paulò fusior & explicatior. Vsura est lucrum, pecunia æstimabile, immediatè ex mutuo proueniens.

Immediatè verò intellige, ita vt mutuator intenderit mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare: vel adminus mutuatarius putet hanc fuisse intentionem mutuantis. Quod si immediatè proueniat, ex amicitia vel gratitudine nihil officiet. Nam licet ex mutuo sperare amicitiam hac ratione conciliandam. Et sperare, quod ex amicitia illius aliquid vtilitatis mihi proueniet, citra tamen pactum.

Consistit autem Vsura in rebus mutuabilibus seu mutuo subiectis. Porro mutuum cōsistit in his rebus quæ constant numero, pondere, mensura.

Numero, vt pecunia numerata.

Pondere, vt æs, argētum, & aurū.

Mensura, vt oleum, frumentum, vinum.

Quæ res dicuntur à Iurisperitis accipere functionem, quia vna potest fungi vice alterius, vt frumentum vice frumēti, & pecunia loco pecuniæ.

PVNCT: II.

Pro re accomodata aliquid accipere vltra sortem, an sit vsura?

Non est, si commodatum propriè accipiatur, vt differt à mutuo, & sonat gratuitam concessionem alicuius rei quoad vsum: ac proinde per hoc (iuxta naturã commodati) non transfertur dominium, sicut per mutuum transfertur: à quo distinguitur. Differt quoque à locatione, quia locatio fit ob mercedem, commodatio verò gratis. Vnde si cõtractus mutetur vt ex commodato sit locatum. potest interuenire lucrum: sed non erit amplius pro re accommodata sed locata. Quãuis etiam possit accipi aliquid vltra sortem pro re accommodata, non quidem per se ex vi commodati, sed per accidens, ratione adiuncti damni, aut lucri cessantis, propter commodatum, ex parte commodantis: aut ratione rei deterioris effectæ, ex parte commodatarij.

PVNCT: III.

Quod dicitur iustum pretium?

℞. Iustum pretium censetur illud quod vel à potestate publica ob bonum commune prudenter est statutum, quod dicitur pretium legitimum: vel communi hominum æstimatione consideratis circumstantiis determinatum, quod dicitur vulgare: vel etiam naturale ac arbitrarium, tanquam à naturali prudentia constitutũ, vbi à Principe vel Magistratu pretium non est impositum.

Discrimen inter hæc duo pretia.

Quòd legitimum consistit in indiuisibili: Vulgare verò habet latitudinem.

Et communiter triplex dicitur. Infimum seu pium, Medium seu moderatum, & summum seu rigorosum aut rigidum.

V. g. Medium sit 10. Infimum 9. *Summum* 11. *Rursum Medium* 100. *Infimum* 95. *Summum* 105.

PVNCT: IV.

An donare aliquid vt reddatur duplum, si non moriatur ante tale tempus, sit licitum?

℞. *Proponitur inprimis Casus. Petrus & Paulus ineunt contractum talem, Petrus dat* 100. *Paulo, ea conditione, vt si Petrus moriatur intra* 10. *annos, Paulus eos flor.* 100. *lucrabitur, & tanquam suos retinebit, si Petrus vixerit ad finem* 10. *annorũ, Paulus reddet ei suos* 100. *& alios* 100. *qui respondebunt illis* 10. *annis, computando* 10. *pro* 100. *in annum quemlibet.*

Et in istis terminis proponitur à pluribus authoribus, quos etiam citat Azor Tom. 3. lib. 7. c. 7. q. 7. Et cũ dissideant Authores, resolutio consistit in hoc: quòd

Tale pactum est licitum, & non vsurarium, Quia Petrus non recipit lucrum ratione mutui, sed ratione periculi, cui suam pecuniam exponit & subijcit. Qui si moriatur, Paulus quoque lucratur. Tenendum igitur est, contractum esse innominatũ. Do vt des, in quo ambo contrahentes sunt pares: Potest enim vterque lucrari centum, & itidem perdere potest, & incertus est euentus.

Potest quoque dici ludi contractus.

PVNCTVM V.

Quomodo in pacto de retrouendendo, committatur Vsura?

℞. 1. Ratione pretij, si minoris vẽdatur, quàm valeat. Caiet: Sum. V. Venditio n. 9.

Ordinariè autem de iusto pretio rei, (si alienaretur in perpetuum) detrahenda est quarta pars. Quamuis si apponerentur conditiones in maiorem fauorem vendentis, & maius onus ementis, minoris posset res illa emi,

Et vice versa, si conditiones fauorabiliores essent emptori & molestiores venditori, pluris.

2. Ratione intentionis, vt si in animo non sit sinceritas emendi & vendendi (quamuis ad tempus) sed vsuram palliandi.

PVNCT: VI.

Societatis contractus quid, & quis licitus, & vt talis ineundus?

℞. Definitio. Contractus Societatis est conuentio duorum plurimúmue ad conferendum aliquid in vsum vel quæstum communem cõtracta.

Pro cuius intellectu, vide Lessium lib. 2. c. 25.

Requiruntur autem 4. ad talem contractum. 1. Vt singuli socij aliquid in commune conferant siue pecuniam, siue operam, vel industriam siue instrumenta, siue animalia.

2. Vt illa à singulis collata sint communia omnibus, cedantq; in dominium singulorum dominio partiali.

3. Vt lucrum & damnum sit commune modo infra dicendo.

Vt fiat lucri diuisio, secundum proportionem sortis à singulis collatæ.

Porrò licitus hic contractus est, quando habet tres conditiones, iuxta triplicem euentum.

1. Aut enim in fine inuenitur lucrum cum summa Capitali.

Aut sine lucro, solùm Capitale.

3. Aut nec lucrum nec Capitale, sed damnum Capitalis in toto vel in parte.

Et quidem in primo euentu, reddetur ante omnia Capitale Dño: Lucrum verò diuidetur, vel æquis, vel proportionalibus, (iuxta cõcursum sociorum) portionibus.

In 2. Capitale Domino reponēti, saluum erit, in labore autem damnum alter patietur.

In 3. Dominus reponens sentiet totum damnum absque concursu socii, etiāsi totū capitale amissū sit.

Illicitus verò duobus modis.

1. Si capitale vnius subſtet lucro & non damno.

2. Si lucrum vel damnum non respondeat sociis secundùm modū explicatum in triplici euentu.

Quomodo verò sit ineundus talis contractus, patet ex supra dictis: Nam vt licitè cōtractus exerceatur, habenda est ratio illorum trium euentuū. *Videre potes Less. dub.* 2.

PVNCT: VII,

Quis dicatur Vsurarius manifestus, & à quo absoluendus?

MAnifesti sunt dupliciter, scilicet, iure, vel facto. Facto quidem, qui ita palàm dant ad vsuram, vt nulla tergiuersatione factum celari posſit.

Iure verò, qui iudicis sententia de hoc crimine sunt condemnati, aut qui legitimè in iudicio per idoneos testes sunt conuicti, vel etiam confeſsi in iudicio.

Quo ad absolutionē, vbi hic casus Episcopo reseruatus est absolutè, ad illum est remittendus, aut ipse Confessor petat facultatem. Cæterū in Synodo hac, nō video inter reseruatos casus. Papalis quoq; nō est, quia nō est ipso iure excōmunicatus. *Less: l.* 2. *c.* 20. *d.* 22. *n.* 186,

Dicendum itaq; est, Quod non admittendus est ad Confeſsionem, donec satis fecerit re ipsa pro sua facultate, vel idoneā cautionem dederit pignoratitiam vel fideiussoriam ipsis Creditoribus, (si præsentes sint) vel in eorum absentia Ordinario loci aut eius Vicario, vel Parocho, coram testibus fide dignis, vel Notario publico habenti mandatum à loci Ordinario. Si talem cautionem præstare non potest, debet iurare, se non posse in præsenti, & se facturum, curaturūque quicquid poterit, vt fiat restitutio.

Si periculum non patiatur moram, statim absoluendus est, & postea cautio exigenda. *Less. Vide tamen in Synodo c.* 60. *f.* 170. *multa vtilia circa vsuras.*

PVNCT: VIII.

Vendere rem carius credito, quàm numerato, an sit Vsura?

℞. Regulariter, & ex natura rei est vsura.

Nihilominus quinque sunt consideranda.

1. *Latitudo iusti precij: Nam vendere numerato infimo pretio, Credito verò summo, non est vsura: quia est infrà latitudinem iusti pretii.*

2. *Si res seruādæ erant ad certum tempus, quo sunt carius valituræ: tunc licet pluris vendere, deductis tamen impensis pro cōseruatione rei. &c.*

3. *Ratio habenda est periculi, sortis, cui talis mercator exponitur, pro-*

pter Emptorem infidum & minus securum.

Debet tamen verum esse periculum & non fictum.

4. *Ratione expensarum & molestiarum, quas timet in recuperanda sorte.*

5. *Ratione lucri cessantis vel damni ex dilatione solutionis, vt si in præsenti habeat emptores, qui præsenti pecunia emerent, vel in breui probabiliter sperarentur emptores qui postea pecuniam conuerteret in negociatorem & lucraretur.*

PVNCT: IX.

In quo differunt lucrum, cessans, & damnum emergens?

℟. In tribus. In significatione, materia, & compensatione. In significatione quidé. Nam damnum emergens importat detrimentum, quod aliquis patitur propter mutuum. Lucrum autem cessans, significat omissionem speratæ vtilitatis ailicuius, propter mutuum.

Exempla vide in Prax. fori pœnitential. lib. 23. cap. 6. n. 67. Et in Azor tom. 3. lib. 5 cap. 4. & sequ. Nauar. c. 17. n. 211. Decis. l. 2. c. 105.

Deinde differunt in materia. Quia damnum emergens est in rebus quas creditor habet, vel quæ ei debentur. Lucrum vero cessans, respicit emolumentũ, quod ei non erat debitum & à quo consequendo impeditur. *Less. l. 2. c. 20. dub.* 10 Quoad compensationem vero differunt. Quia damnũ emergens totum est compensandum quod propter mutuum incurritur. Lucrum vero cessans non totum, sed ad arbitrium boni viri perpensis impedimentis, periculisque lucri consequendi, deductis etiam impensis, si quæ sunt. Quod enim futurũ est, nondum est, & multis modis impediri potest.

PVNCTVM X.

An pro pecunia dotali liceat fructus aliquos accipere?

℟. Non licet iuxta modum corruptæ consuetudinis, sicut nec pro redemptione captiuorum, licitum est vsuram cõmittere. Nihilominus si pecunia dotalis vel pupillorum ac viduarum reduceretur ad aliquem iustum titulum (de quibus Valentia t. 3. disp. 5. q. 25. pun. 2. Nam in primo puncto enumerat iniustos modos) posset esse modus non tantum tolerabilis, sed etiam licitus.

Modus autem iste est, si inirentur & coniungerentur tres contractus cum mercatore ex parte pupillorum. 1. Societatis. 2. Assecurationis capitalis. 3. Assecurationis lucri. V. g. Sperat quis probabiliter se pro parte lucri ex contractu societatis sibi respondente consecuturum. 12. Ex his promittit mercatori 3. vt ipsum assecuret, quod capitale non amittet. Et iterum promittit per tertium contractum

alia 3. vel 4. vt ſit ſecurus de lucro. Itaque reſiduum ſcilicet 5. vel 6. accipiet pro ſorte ſua.

Cæteri modi præter hunc vel hic locum non habent, vel periculis pleni ſunt.

TITVLVS X.

De Simonia.

Habet puncta 5.

PVNCTVM I.

Simonia quid ſit & quotuplex?

℞. Simonia eſt deliberata voluntas emendi vel vendendi pretio tẽporali aliquod ſpirituale vel ſpirituali annexum.

Spirituale hic dicitur quod eſt ſupernaturale quocunq; modo, vt gratiæ, Sacramenta, conſecrationes, benedictionesq; Eccleſiæ, & omnis vſus poteſtatis ſupernaturalis. Spirituali annexum, quod cum aliquo ſpirituali habet connexionem, vel antecedenter, vt Ius patronatus, veſtes, & vaſa ſacra, templa, altaria. Vel conſequenter, vt beneficia Eccleſiaſtica, quia ſupponunt officium diuinum. Aut concomitanter, vt labor in miniſterio Sacramentorum.

Diuiſio.

Simonia (claritatis cauſa) eſt quadruplex: Mentalis tantùm, Conuentionalis tantùm, Realis, & Cõfidentialis.

Mentalis eſt quæ latet in mente tantùm ſeu intentione. Quæ interdum erumpit ad dationem abſque declaratione iniqui animi, interdum non.

Conuentionalis, quæ etiam ad pacta verè & non animo decipiendi deducitur, verbo, nutu, vel alio ſigno, ſiue in ſola tantùm promiſſione conſiſtat: ſiue etiam ex vna tantùm parte impleatur.

Realis, quæ ad dationem & acceptionẽ præmiſſo pacto peruenit. Et poſſet quidem ſubdiuidi, quod vel eſt vtrinque completa: vel ex vna parte tantùm. Sed quia realis hic dicitur, quę omnifariam eſt cõpleta: idcircò hæc, quę ab vna parte tantùm compleri incepit, ad Cõuentionalem reducitur. *Valent.* 22. *de Simonia, diſp: 6. pun. 5.*

Confidentialis, quando alicui confertur, aut procuratur beneficium cum pacto, vt idem conferẽti vel procuranti aliquando reſignet.

PVNCT: II.

An conferens beneficium indigno ob conſanguinitatem, amicitiam, vel preces, ſit Simoniacus?

℟. D. Th. 22. q. 10. a. 5. 2. ait non esse Simoniacum propter consanguinitatem vel affinitatem carnalem conferre gratis aliquod spirituale, quia nihil ibi datur vel accipitur pecunia æstimabile. Quamuis ex tali motiuo principaliter conferre, sit mortale, præsertim indigno. *Nauar' cap.* 23. *n.* 107. *Azor. t.* 3. *lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 1.

Nisi hoc in aliquod cõmodum tẽporale resoluatur tanquam in pretium. Valentia 22. & de Simonia disp. 6. punct. 3. Exemplum ex Azor, si confert consanguineo, vt inde is, qui confert fiat honoratior, vel opulentior, vel potentior: vel vt consanguineorum, aut propinquorum familia esset clarior, vel ditetur.

Idem de conferente ob amicitiam, quamuis indigno. *Nauar.* Et quamuis aliqui Doctores dixerint hoc esse Simoniacum, tamen latè & generaliter vsi sunt nomine Simoniæ, scilicet quando datur beneficium ob aliquam inordinatam causam vel motiuũ. *Less. dub.* 20. *Azor. t.* 3. *lib.* 12. *cap.* 11. *Val.*

Sicut & de precibus specialiter aliqui asseruerunt. Nam conferre alicui beneficium propter preces, vel obtinere propter preces, etiam interueniente indgnitate, non est propriè Simonia.

Nisi preces pro precio fiant, & accipiantur, vt ait Nauar. Cap: 23. n. 100. & 107.

Vel exauditio precum resoluatur in aliquod commodum temporale, tanquam pretium, vt Valentia, Soto, & Azor aiunt, videlicet, si exaudiens preces, fauorem ab exaudito quærit, beneuolentiam sperat, obligationẽ oblatam suscipit, iram & odiũ metuit, honori ducit quod à talibus rogetur. *Vide D. Th.* 22. *q. a.* 5. *Azor. c.* 18. q. 3.

Vel nisi aliquod pactum interueniat tacitum vel expressum, *vt Less: docet dub:* 20. *& Sotto de Inst: lib.* 9. q. 7. a. 3.

Aut etiam preces interponantur, apud alium in ipsius Collatoris vtilitatem. *Less.*

PVNCT: III.

Quomodò dignoscetur qui inseruit alicui Prælato, pro beneficio obtinendo, an sit Simoniacus?

℟. In confessione tribus modis id cognosci potest:

1. Per distinctionem præpositionis, (pro) Nam potest importare, vel causam finalem, vel impulsiuam siue excitatiuam. Et quidem si dicat causam finalem, videlicet quod spes beneficii moueat, tanquã finis principalis & immediatus ad inseruiendum, procul dubio erit Simonia.

Quod si tantum excitet & impellat, finis tamen immediatus est salarium, aut alius iustus vel honestus respectus: tunc non erit Simonia

nia, vt sequenti puncto patebit, vbi etiam periculum aperietur.

Hanc doctrinam fere suppeditare videtur Nauar. c. 23. n. 100. ibi Quarto. Declarationem verò terminorum videre poteris in opere morali. Sanch. lib. 4. c. 2. n. 38. & de Matrimonio lib. 8. c. 21. n. 8. Et c. 30. n. 9.

2. Dignosci potest ex discussione intentionis. Nam si obsequia sumit pro precio assequendi beneficium: ita quod ex vi obsequiorum immediatè expectat illud, & est quasi emens ipsum, ac proinde simoniacus.

Quod si non ex vi seruitii, sed fauoris comparandi per obsequia sperat beneficium non est simoniacus. Quod in sequenti puncto melius declarabitur.

3. Ex medio. Nam si pactum mediat & interuenit, vt loco stipendii, aut etiam cum illo accipiat beneficium. *Vide Azor t. 3. lib. 12. c. 18. q. 2. Et Less. lib. 2. c. 35. d. 20.*

PVNCT: IV.

Quomodo per munus à manu à lingua & obsequio committatur Simonia?

Munus à manu (secundum D. Gregorium) est pecunia, & omne donum, quod intuitu obtinendi spirituale datur, vt equus, torques, annulus.

Talia si dantur ex pacto, erit Simonia cōpleta si absque pacto, sed cum intentione secreta obtinendi rem spiritualem, erit Simonia mentalis. Si verò dantur ad conciliandam amicitiam tantum, non erit Simonia: verùm periculosum est. *Less: lib: 2. c. 35. dub. 20.*

Munus ab obsequio, si quis obsequium præstet Episcopo, Collatori, &c. vel inseruiat ijsdem cum expresso vel tacito pacto, vt beneficio compensetur, aut saltim tali intentione non manifestata, erit Simonia. *Less: lib: 3. c. 35. dub: 20.*

Si verò, vt ipse, serui scientiam & dexteritatem perspectam habens, moueatur ad conferendum ei beneficium, non erit Simonia in foro conscientiæ, etiamsi gratis seruiat, dummodo non intendat obligare tacito aliquo pacto Collatorē, nec ipse sentiat se esse obstrictum. Nō enim præstas obsequia, vt Episcopum obliges, sed vt talenta tua ei innotescant. *D. Th. & Less.*

Ad conciliādam verò amicitiam inseruire, æquè periculosum est, ac in munere à manu. *Lessius.*

A lingua, vt laus & vituperatio, patrocinium aduocati, commendatio apud Principem, & alios, ad fauorem humanum comparādum, & odium vitandum: hoc enim officium est pretio æstimabile. Vnde si quis hoc principaliter intendit, vel in pactum deducit expressè vel tacitè, Simoniacus est.

De precibus satis dictum est.

PVNCT: V.

Quis Simoniacus sit ipso Iure suspensus vel excommunicatus?

R. Simoniacus realis in ordine, est ipsofacto suspensus ab omniū ordinum executione. *Less. d.* 24. & prӕterea est excommunicatus cum Papali reseruatione. In beneficio verò Simoniacus est tantùm excommunicatus. Similiter Simoniacus per confidentiam non tantum realis, sed etiā cōuentionalis, translato beneficio est excommunicatus. *Lege Nauar. n.* 110. & *Less.* 5.

Pro cuius declaratione sciendum est?

QVod omnis Simonia pœna æterna gehennæ punitur, nisi hic per Sacramentum Pœnitentiæ expietur.

Mentalis vltra peccatum mortale, nulla pæna iuris afficitur, siue sit purè mentalis, siue etiā peruenerit (absque pacto tamen) ad actū exteriorem dandi vel accipiendi: adeò vt etiam ad restitutionem in nullo casu sit obnoxius talis simoniacus. Nau. c. 23. *n.* 111. *val. de Sim. disp.* 6. *p.* 6. *Quamuis Sotto contrarium sentiat de Iust. lib.* 9. *q.* 8. *a.* 1. *quo ad simoniam mentalem quæ ad dandum accipiendumq; peruenit. Conuentionalis præter peccatum mortale, quod ei commune est cum mentali, potest etiam puniri in foro exteriori, si officio deferretur.*

Illa verò Conuentionalis, quæ est ex altera tantum parte completa, obligat ad restituendum id quod est acceptum, & quidem statim ante condemnationem. Val. vbi sup. Restitutio quidem rei temporalis fieri debet danti (quamuis per sententiam iudicis in pœnam ipsa priuari possit.) Rei verò spiritualis non danti sed superiori, nisi restitui nequeat, vt Sacramentum vel Sacramenti character. Quoad pænas realis simoniæ, distinguendum est: Nam vel est in ordine, vel in beneficio, vel in religionis ingressu.

Itaq; Simoniacus realis & mediatores, tam in ordine quam in beneficio, omnes sunt ipso iure excommunicati, cum reseruatione Papali. Nau. n. 111. *Val.*

Simoniacus in ordine tantum, præter excommunicationem est ipso iure suspensus cum reseruatione Papali. Val. Simoniacus verò in beneficio, non est ipso iure suspensus, sed tantùm excommunicatus.

Et præterea omnis dispositio beneficiaria, vt præsentatio, electio, collatio, per realem Simoniam; est nulla, & consequenter quæsitum per illam, debet dimitti etiam ante sententiam, & quidem cum fructibus: quia iure naturali relinquenda est res aliena.

Est quoq; talis inhabilis ad idem beneficium obtinendum. Res autem temporalis per simoniam data restitui debet Ecclesiæ, in cuius præiudicium admissa est vel pauperibus, si in nullius Ecclesiæ damnum, vel ignominiam id cessit: post sententiam tamen.

Val. Less. Simonia confidentiæ pœnis superat omnes superiores. vide eas apud Less. lib. 2. cap. 35. dub. 26. & n. 149. Nau. C. 23. n. 108.

Ad extremum notandum est quod tradunt. Nau. val. & Azor. t. 3. li. 12. cap. 21. q. 6. Quod nullus Simoniacus est ipso iure excommunicatus præter simoniacum realem in ordine & beneficio.

Cuius contrarium Less. dub. 23. significat, quoad simoniam ob religionis ingressum, quòd videlicet tam dantes quam accipientes sunt ipso facto excommunicati per vrbani. 4. Extrauag. quæ incipit sanè in vinea Domini. Capitula verò aut Conuentus suspensionis pœnæ subiacent. Quæ tamen pœnæ intelliguntur, interueniente petitione vel exactione directa aut indirecta. Nam sponte oblata (omni pactione cessante) licet recipere, sicut & dotem exigere: (sic determinante Marti 5. & Clem. 7.) non quidem pro ipso ingressu religionis, sed pro alimentis Monialis, maximè si Monasterium sit tenue.

TITVLVS XI.

De Censuris.

Habet puncta 7.

PVNCTVM I.

Quot sunt Censuræ?

℟. Tres. Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

PVNCT: II.

Quid importat Censura?

℟. Accõmodatione & vsu Ecclesiæ importat pœnam spiritualem seueram, medicinalem tamẽ, ac proinde temporalem.

PVNCT: III.

Quæ est differentia inter Censuras?

℟. Quia Excõmunicatio directè priuat communione fidelium: Suspensio, Ministerio Ecclesiastico Interdictum Officiis & rebus diuinis.

PVNCT: IV.

Quæ est Excommunicatio maior & minor?

℟. Excõmunicatio minor est illa, quæ priuat sola perceptione Sacramentorum, seu passiuo vsu Sacramentorum: ita quod peccat mortaliter ingerens se Sacramentis suscipiendis.

Et hæc non incurritur nunc, nisi in duobus Casibus communicationis, cum Excommunicato: scilicet, cum percussore Clerici notorio: & publi-

publicè nominatimque Excōmunicato.

Maior verò omni communione fidelium priuat.

Nam priuat inprimis Sacramentis tam conferendis quam suscipiendis.

2. Orationibus & suffragijs Ecclesiæ.

3. Communione quoque ciuili.

Habetque multos alios effectus, Quos videre poteris in Suar. de Censuris & Nauar.

Quinq; autem excusant non vitantem excommunicatos.

1. *Ignorantia.* 2. *Necessitas.* 3. *Vtilitas.* 4. *Coniugium.* 5. *Subiectio. Nau. c. 27. n. 26. & Suar.*

PVNCT: V

Irregularitas est inhabilitas propter quandam indecentiam, impediens directè ac primariò susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, consequẽter verò vsum eorũ.

PVNCT: VI.

Quot sunt irregularitatis species.

℟. In particulari sunt 12. species Irregularitatis. Et quidem sex sunt propter indecentiã inculpabilem: propter verò indecentiam culpabilem similiter sex.

Inculpabilis est vt 1. Defectus natalium. 2. Defectus corporalis. 3. Bigamia. 4. Administratio iustitiæ in causa sanguinis & concursus ad eam. 5. Interfectio & mutilatio in bello iusto. 6. Defectus libertatis vt in mancipiis.

Culpabilis. 1. Sacramenti iniuria, vt est in rebaptizatione. 2. Censuræ violatio, vt puta, si quis irretitus eis attentet susceptionem vel exercitium Sacrorum Ordinum. 3. Hæresis. 4. Homicidium. 5. Mutilatio. 6. Infamia.

PVNCT: VII.

An Confessarius tempore Iubilæi possit cum Irregulari dispensare?

℟. Non potest nisi Bulla hoc exprimat.

Non solet autẽ id conce dercim ò regulariter excipit.

Sed etiamsi non exciperet expresse, non propterea possent Confessarij dispensare, quia concessio in nulla clausula contineretur.

Non sub absolutione à peccatis & censuris, cum irregularitas non absoluatur, sed dispensetur.

Neq; sub potestate data supra vota & iuramenta: quia datur facultas commutandi, non dispensandi.

Etsi daretur potestas dispensandi, illa statim limitaretur ad vota & iuramenta duntaxat, & non in sua amplitudine concederetur.

CORRECTIONES PRAECIPVORVM.

F*olio 5. ad punct. 7. dicendum sic. Resp.* Duobus modis 1. Ratione imperfectionis actus. scilicet. propter surreptionem vel imperfectam deliberationem. 2 Ratione paruitatic materiæ *Decis. lib. 1. cap. 14.*

Fol. 6. numerus 11. *ponitur, sed male, Punct. 1. in Resp. lege* excusaretur. *Fol. 28. Punct. 5. dele* vendatur. *lege* emantur. *Fol. 9. Allegationes adde Decis. lib. 1. cap. 5.*

Fol. 12. punct. 3. legendum sic, Ad semel in anno.

Fol. 9. colum. 2. versu 5. vide. licet. lege videlicet.

-12-

5.000

Rzadkość

Estr. nie zna tego wydania